

(b) Si ideae illae vel formae sensibiles innatae obiectum primum essent et immediatum cognitionis, non autem ipsa res, nulla esset ratio distinguendi inter sensationes internas (e. g. phantasiae, in somniis, hallucinationes) et externas, si quidem ideae sunt prorsus nobis internae. Neque esset criterium vel certitudo de conformitate ideae cum obiecto externo, quod ipsum nunquam immediate apprehenderem, ut cum idea comparetur. Proinde iure meritoque iam Carneades et post ipsum Hume omnem certitudinem cognitionis nostrae, quae a sensibus incipit, in dubium vocassent.¹⁾ Nulla tandem esset ratio, cur haec vel illa idea potius huic quam alii obiecto tribueretur. *Atqui* constat nos distinguere inter sensationes internas et externas, nos certos esse de veritate cognitionis sensitivae etiam quoad existentiam singulorum corporum. *Ergo* certitudo illa non efficitur ideis innatis.

c) Constat, deficiente sensu etiam ideas rerum, quae illo sensu percipiuntur, deesse. *Atqui* ideae, si essent innatae, in omnibus adessent et caecis et surdis. *Ergo* non sunt ideae innatae rerum existentium.)

⁴⁾ *Certitudo naturalis directa de corporum existentia non comparatur primo et per se conclusionem, quae fit mediante principio causalitatis ex impressione corporum in organis nostris; nam a) conclusio est actus mentis, qui non potest esse nisi in ente intelligente. Atqui etiam infantes ratiocinandi nondum capaces, immo et bestiae (e. g. pulli ex ovo egredientes) certitudinem habent rerum sensu perceptarum neque ullo modo haesitant in rerum usu. Ergo certitudo naturalis de corporum existentia non acquiritur conclusione.*

(b) Haec conclusio esset conscia aut inconscia; si primum, deberemus scire vel saltem reflexione invenire, quod tamen repugnat conscientiae; sin alterum, gratis asseritur et gratis negatur.

c) Si vi principii causalitatis comparanda esset certitudo de corporum existentia, certitudo nostra de illo principio deberet praecedere certitudinem de rerum existentia. *Atqui* tum cognitio nostra principii causalitatis tum eius certitudo non potest praecedere cognitionem nostram et certitudinem de corporum existentia. *Ergo* certitudo primitiva, naturalis de corporum existentia non acquiritur conclusione vi principii causalitatis.

Maior patet; nam in argumentatione praemissae debent saltem ratione praecedere conclusionem, cuius sunt causa logica; et causa praecedat effectum ex natura sua.

¹⁾ Cfr. Stöckl, Geschichte der Philosophie, I, 173 et II, 140.

Probo minorem: Notio et principium causalitatis aut sunt abstracta aut innata. Si primum, sunt abstracta a perceptione sensuum; omnis enim cognitio nostra intellectualis incipit a sensibus et quidem externis.¹⁾ *Atqui* non possunt abstrahi a rebus sensibus perceptis, nisi prius illae res sensibiles percipiantur, in quibus inest causalitas, neque certo abstrahi possunt, nisi cognitio rerum sensibilibus, in quibus inest causalitas, sit certa. *Ergo* cognitio et certitudo principii causalitatis supponit iam certam rerum sensibilibus cognitionem.

Neve dicas, principium causalitatis posse primo abstrahi a phaenomenis vel affectionibus *internis*, e. g. actibus ipsis sentiendi, intelligendi ac deinde applicari ad sensationes et res externas etc. Sane potest etiam hoc modo abstrahi et acquiri, sed non *primo*; nam a) cognitio per sensus externos ac proinde rerum externarum est *prima* omnium et directa; sensus enim ex se indifferentes debent re aliqua a nobis distincta excitari; actus vero nostri tanquam affectiones internae et principium sensitivum, licet simul, *indirecte* tamen et *secundario* percipiuntur, neque quidquam phantasia vel memoria repraesentat, quod non prius aliquo modo sensibus externis perceptum fuerit. *Atqui* hic agitur de certitudine cognitionis sensitivae directae, qua corpora externa percipiuntur. *Ergo* . . .

b) Si principium illud primo et proprie ab affectionibus nostris internis abstraheretur ac deinde transferretur ad res externas, non haberemus conceptus proprios rerum sensibilibus, sed analogicos, sicut caecus ex perceptione auris vel tactus sibi efformat conceptum coloris. *Atqui* constat conceptus nostros rerum sensibilibus esse maxime proprios, alios vero, quibus res insensibiles vel etiam nobis internas concipimus, esse analogicos. *Ergo* . . .

c) In sententia adversariorum proprium corpus vel vi principii causalitatis certo existere concludimus vel immediate attingimus. *Atqui* corporis nostri existentia primo non posset concludi nisi ex affectione aliqua organica, materiali, quae igitur iam *supponit* cognitionem et quidem certam rei materialis eiusque distinctionem a spirituali; deinde ex effectu illo posset quidem concludi, adesse *aliquam causam* materialem, non vero quae causa particularis, nisi ipsam immediate attingas, sicut ex folio ventis raptum possum concludere, pertinere ad arborem *aliquam*, non vero ad quam *individuum*, nisi videro folium ab arbore ipsa prolabens; ex fumo in aëre percepto potest concludi ortum esse ex igne aliquo, non autem ex quo individuo, nisi fumum ex ipso igne ascendentem percepero. *Ergo* . . .

Si vero corpus nostrum *immediate* attingimus, non est, cur alia corpora non immediate percipiamus; nam conscientia nostra testatur, nos in perceptione *directa* sensuum eodem prorsus modo corpus nostrum apprehendere, sicut alia: videndo, tangendo etc. Perceptio vero *indirecta* corporis nostri tanquam principii percipientis per conscientiam iam *supponit* directam perceptionem eiusque certitudinem et consequenter principium quoque causalitatis, si ipso mediante certitudo nostra in perceptione sensitiva acquireretur.

¹⁾ Cfr. infra in Ideologia lib. I, c. III.

Ergo principium causalitatis non primo ab affectionibus mere internis, sed a sensatione externa abstrahitur, eiusque supponit veritatem et certitudinem naturalem.

Neque vero notio et principium causalitatis innata sunt, sicut multi adversarii auctore Kantio statuunt.¹⁾ Nam a) non sunt ideae innatae et a fortiori neque principia innata, sed ex ideis efformata; b) si essent innata, nostra cognitio aut esset mere subiectiva, aut ideae illae vel principia innata essent inutilia. Nam causalitatem aut percipio in ipsis rebus, aut non; si primum, perceptio corporum est immediata, et tunc inutilis est idea innata; sin' alterum, nulla esset ratio, cur causalitatem nunc adhiberem, nunc non; nunc hoc modo, nunc alio, e. g. cur arbor causa sit foliorum vel fructuum, non lapis etc. Neque ulla esset certitudo de conformitate mentis cum obiecto, si quidem res ipsa non apprehenderetur, sicut est in se. — Neve dicas, subesse conclusionem „inconsciam“; nam si eius non habemus conscientiam, undenam tu hoc scis, quomodo probas, quae tunc certitudo? Est confessio ignorantiae

3. *Ex absurdis*: Nisi corpora ipsa, sed eorum effectus in organis nostris primum et immediate perciperentur²⁾, deberem motus illos locales nervorum in organis vel cerebri primum apprehendere et ex eis obiecta construere, sicut ex fumo concluditur ignis, vel ex litteris cognoscitur cogitatio scribentis, et ad extra proicere. Atqui conscientia testatur, nos immediate corpora percipere, nullo vero modo illos motus physicos vel physiologicos; immo ne docti quidem physici aliud quidquam vident; deinde ex illis effectibus impossibile esset, certo concludere corpora existere, cum causa illorum, sicut fit in irritatione anormali (bloss subjektive Licht- und Schallempfindungen), in somniis etc., possit esse mere subiectiva, ut Hume bene advertit. Neque posset distingui inter sensationes mere subiectivas et obiectivas, cum in sententia adversariorum obiectum immediatum semper sit *in nobis*: affectio nostra. Porro etsi concludi posset, aliquam causam materialem adesse, non tamen constare posset, quae causa particularis subesset, sicut qui nunquam ignem eiusque naturam perspexisset, ex fumo nesciret concludere, ignem esse causam; neque qui sensum verborum non didicerit, quid significant litterae, unquam sciet. Nulla est enim, ut ipsi fatentur³⁾, similitudo inter illos motus mechanicos

¹⁾ Vide, quae Schopenhauer supra dicit. Helmholtz fatetur: „Demnach müssen wir das Gesetz der Kausalität . . . als ein *aller Erfahrung vorausgehendes Gesetz unseres Denkens* anerkennen“. Die Tatsachen in der Wahrnehmung, p. 41.

²⁾ „Unser sensibler Organismus nimmt eigentlich nur sich selbst wahr, nicht die Aussenwelt. Der Retina ist ein ursprüngliches Raumbild angeboren“, Joh. Müller, *Physiol. d. Gesichtssinnes*, p. 54. „Von der beobachteten Wirkung auf unsere Sinne gewinnen wir die Vorstellung einer Ursache, während wir in der Tat direkt doch immer nur die Nervenerregungen, also die Wirkungen wahrnehmen können, niemals die äussern Objekte“. Helmholtz, *Phys. Optik*, Abschnitt 3.

³⁾ „Die Gesamtheit unserer Sinne ist gleichsam die Klaviatur, auf der die Aussenwelt spielt. Die hier drinnen entstehenden Sinnesempfindungen haben mit der aussenspielenden Welt nicht die geringste Aehnlichkeit; sie sind nicht Bilder, sondern Symbole für die Gegenstände und Prozesse der

et res existentes. Denique homines et bestiae deberent universum hunc mundum, eius ordinem mirabilem, quantitatem, coelum et terram ex se construere et nescio, qua vi et qua ratione, ad extra proicere, quod et conscientiae et sanae menti repugnat. Unde idealistae physiologici, si volunt sibi esse consentanei, necessario devenient ad acosmismum vel subiectivum Fichtei, vel obiectivum Berkeley, quod ipse Helmholtz tandem fatetur.¹⁾

I. *Obi.*: Difficultates contra primam partem thesis sunt eadem fere ac contra tertiam, unde affinitas utriusque sententiae elucet.

1. Sensationes non possunt obiecta nobis externa repraesentare, quia sunt actus immanentes²⁾; dist.: ut affectiones subiectivae — conc.; ut repraesentationes obiectorum — nego.

2. Atqui etiam ut repraesentationes obiectorum; nam obiectum cognitum debet esse in cognoscente³⁾; dist.: obiectum materiale — nego; obiectum formale; subd.: obiectum formale *quod* — nego; obi. form. *quo* — conc.

3. Atqui etiam obiectum materiale vel saltem formale *quod* debet esse in cognoscente; nam debet facultas coniungi obiecto suo; dist.: physice — nego; intentionaliter — conc.; sensatio enim non est actio mere materialis et localis.

Aussenwelt; sie entsprechen diesen etwa so, wie die Schriftzüge und der Wortlaut dem bezeichneten Dinge.“ Helmholtz, l. c.

¹⁾ Vide apud Pesch, *Weltphaenomen*, p. 121. „Ich sehe nicht, wie man ein System, selbst des extremsten subjektiven Idealismus widerlegen könnte, welches das Leben als Traum betrachten wolle . . . konsequent durchführbar wäre es.“ *Tatsachen der Wahrnehmung*, p. 34; cfr. supra thes. II. Similiter Wundt hanc sententiam refutat, *System d. Philos.* 1897² p. 89—99, licet ipse ex sua sententia obiectivitatem sensationis probare non possit, immo eam destruat: „Das Vorstellungsobjekt hat aufgehört, *reales* Objekt zu sein und hat nur noch die Bedeutung eines subjektiven Symboles, das auf einen realen, nach Stoff und Form *nur begrifflich* zu bestimmenden Gegenstand hinweist“ (ibid. p. 146), quamvis alibi saepe dicat obiectum sensationis esse reale: „Unsere Vorstellungen sind ursprünglich selbst die Objekte . . . Das ursprüngliche Vorstellungsobjekt . . . ist ein vollkommen einheitlicher realer Erkenntnisinhalt“ (ibid. p. 88). Cfr. Wohlmut, *Lehrb. d. Phil.* 1905, p. 317 sq.; O. Külpe, *Die Philosophie der Gegenwart in Deutschland* (aus *Natur u. Geisteswelt*, B. 41) p. 97 sq.

²⁾ „Man kann ausser sich nicht empfinden, sondern nur in sich selbst.“ „Alle Vorstellungen, sie mögen nun äussere Dinge zum Gegenstande haben oder nicht, sind an sich selbst Bestimmungen des Gemütes und gehören zum innern Zustand.“ (Kant.) „Das Bewusstsein geht nie über sich hinaus.“ (Gottl. Fichte.)

³⁾ „Esse est percipi.“ „Das Sein der Dinge ist ihr Percipiertwerden oder Erkenntwerden.“ (Berkeley). „Wir können nur unsere Vorstellungen vorstellen, nur unsere Gedanken denken.“ (E. v. Hartmann.) „Wir können nur durch die Vorstellung an das Ding herankommen. Wer ausser der Vorstellung es zu erfassen sucht, der will über seinen eigenen Schatten springen.“ „Der Gedanke eines ausserhalb des Bewusstseins existierenden Gegenstandes ist ein Ungedanke, der sich selbst aufhebt, weil er die Forderung in sich schliesst, ein Ding gleichzeitig zu denken und ausserhalb des Denkens zu setzen, also nicht zu denken.“ (Schuppe.)

4. Atqui sensus debet physice coniungi cum obiecto materiali; secus enim non possemus esse certi, nostram cognitionem esse conformem obiecto; dist.: si nulla esset determinatio physica ex parte obiecti — conc.; cum requiratur determinatio physica ex parte obiecti — nego. Hoc probat, nostram cognitionem sensuum debere esse immediatam.

5. Atqui tunc potius illa determinatio physica (e. g. undulatio aetheris, excitatio nervorum) a nobis perciperetur, non immediate ipsa corpora; dist.: si illa determinatio esset obiectum *quod* — conc.; cum non sit nisi medium quo vel species impressa, obiectum formale *quo* parziale — nego.

6. Atqui obiectum materiale externum non potest sensu repraesentari, quia illa repraesentatio in mente sc. species intentionalis non habet ullam similitudinem¹⁾ vel proportionem cum obiecto; dist.: non est identitas physica — conc.; nulla est similitudo vel proportio, subd.: *entitativa* — conc.; neque intentionalis — nego.

Obi. contra secundam partem:

1. Atqui sensatio potest saltem a Deo effici; dist.: absolute — trans.; ordinarie — nego.

2. Atqui etiam ordinarie; nam non decet Deum per multa media sive obiecta efficere, quae potest per simplicia, i. e. per solam repraesentationem; dist.: si sola Dei potentia vel sapientia spectatur — trans.; simul cum eius veracitate et sanctitate — nego.

3. Atqui etiam Dei veracitas etc. non impedit; nam revera phantasia et sensus saepe repraesentant, quae non sunt; dist.: in statu normali — nego; in statu anormali, subd.: ita tamen ut error possit corrigi — conc.; alias — nego.

4. Atqui etiam in statu normali non repugnat; nam in SS. Sacramento Eucharistiae, quae est institutio divina perpetua, panis videtur, non tamen adest; dist.: non adest et simul eius absentia fide revelatur — conc.; error sensuum non corrigitur — nego.

5. Atqui error etiam in statu normali esset solum malum physicum, quod Deus potest permittere; dist.: pro homine esset malum physicum — conc.; ex parte Dei esset solum malum physicum — nego; esset enim simul malum morale ex parte Dei sc. deceptio hominum.)

Thesis XV: Sensus non fallunt circa sensibile commune, si sub debitis conditionibus adhibentur, illudque immediate percipiunt.

St. qu. 1^o *Sensibile commune* illud vocatur, quod a pluribus sensibus in corporibus percipitur et est extensio et illae proprietates, quae extensionis quasi species vocari possunt: forma, figura, numerus, motus, quies. Dicitur commune sensibile *non primo* percipi, quia non apprehenditur nisi cum proprio sensibili, non per se solum; *per se* tamen percipitur, quia ratione sui determinat proprium sensibile, ac proinde quantitas diversa etiam diverso modo sensus afficit.²⁾

¹⁾ „Nur Ideen sind perceptierbar.“ „Nur eine Idee oder Vorstellung kann einer Idee oder Vorstellung ähnlich sein.“ (Berkeley.) ²⁾ S. Thom. S. Theol. I, qu. 78, art. 3.

2^o Ut sensus sensibile commune semper *recte et perfecte* referant, modo debito applicari debent, quare a) plures sensus adhibendi sunt, (ut e. g. quantitas, distantia, motus, figura, quies rite percipiuntur, ne quantitas vel distantia vel motus vel quies apparens (motus solis, terrae, navis; distantia montis, figurae pictae vel verae) confundatur cum vera,) licet nonnunquam in rebus obhyis vel experientia cognitio unus sensus sufficiat; b) sensus sint sani (e. g. musculus ocularis contractus vel sanatus) et rite dispositi nec non bene explicati (e. g. caeci sanati, quoad distantiam diiudicandam); c) media intersint ordinaria, e. g. aër quoad distantias obiectorum, obiecta speculo convexo vel concavo reflexa; sonus repercussus; fractio lucis, telescopus, microscopus, stereoscopus; d) obiectum debet se habere modo ordinario neque facultates vel parvitate vel magnitudine excedere, e. g. pori minimi in corporibus continuis.

3^o Affirmamus non solum commune sensibile existere, sed *immediate* a nobis percipi. (Haec vero immediata perceptio non excludit media quo cognitionis; immo requirit, e. g. speciem impressam et expressam, sed medium *quod* excludit, i. e. commune sensibile non solum determinat, sed etiam *terminat* obiective cognitionem sensitivam.)

4^o Adversarii thesis sunt duplicis generis. Alii docent, quantitatem et quae eam sequuntur, non existere extra nos, sed eius repraesentationem vel a Deo in nobis produci (Berkeley), vel esse formam innatam (Kant, Schopenhauer), vel a nostra anima produci (Fichte, Hegel). Alii vero non negant, quantitatem existere in rebus (et idem dicendum est de tempore, quod motum supponit); eam autem *non immediate* in rebus percipi, sed eius repraesentationem secundum triplicem vel saltem duplicem dimensionem, supposita impressione ex parte obiecti, modo subiectivo produci a nobis idque vel *speciali quadam energia sensibus innata*¹⁾, ut Joh. Müller, Hering, Stumpf's Tiefenanschauung; (nativistische Theorie) vel *modo genetico*, i. e. perceptione serierum, quae possunt converti (Raum) vel non converti (Zeit), ut Herbart²⁾ eiusque asseclae, vel motu quodam interno mentis simili motui externo, ut Trendelenburg³⁾, vel modo

¹⁾ Ulrici, Volkmann, E. Fischer retinae vim quandam nativam tribuunt impressionem lucis sive imaginem in retina productam in quandam distantiam prociendi. ²⁾ Vocat spatium: „Geschöpf des zusammenfassenden Denkens“. Cfr. Drbal, Lehrb. der empirischen Psychol. p. 119—152: „Raum und Zeit sind durchaus keine Qualitäten der Empfindungen, und weil sie es eben nicht sind, so können sie auch von der Seele nicht unmittelbar wahrgenommen werden.“ Cfr. Gutberlet, Psychol. p. 62.

³⁾ „Der Geist entwirft die Ausdehnung, Gestalt, Bewegung, Ruhe und Zahl durch die mit ihrem Ursprung homogene Tätigkeit.“ Log. Untersuchungen 1862, p. 485.

synthetico, ita ut anima in cerebro, percipiens motum organicum, eum primo organo alicui externo tribuat (Localisation), deinde obiecto externo adscribat (Projection¹). Hanc autem localisationem et projectionem fieri vel modo mere psychologico per aliquam associationem motuum oculorum, musculorum nervorumque cum qualitate specifica (Bain, St. Mill), sive motu nervorum simul cum energia aliqua specifica (Lotze: einfaches Lokalzeichen), sive motu musculorum cum differentia certa qualitativa in retina oculi producta (Wundt: komplexes Lokalzeichen); vel tandem modo *logico* per conclusionem vel inconsciam (Schopenhauer, Helmholtz, Fick, E. v. Hartmann) vel consciam (Locke, Berkeley, Condillac.²)

I. *Sensibile commune, quod sensus referunt, existit extra nos.*

Prob. 1. Ex existentia corporum: Existunt corpora extra nos et saltem corpus nostrum, ut in thesi praecedenti probavimus. *Atqui* corpora utpote ex partibus composita non possunt: a) naturali modo existere sine quantitate; b) neque agere invicem, neque in organa nostra extensa, nisi habeant extensionem; extensio vero est fundamentum figurae, formae, motus, quietis, numeri. *Ergo* sensibile commune existit, ac proinde sensus hoc referentes non fallunt.)

2. *Ex natura facultatis sensitivae:* Facultas sensitiva a natura destinata est, ut sub debitis conditionibus verum referat tum ad vitam sensitivam sustentandam, tum ad vitam spiritualem explicandam. *Atqui* sensus nobis referunt, teste conscientia et consensu hominum, extensionem tanquam externam, a nobis distinctam. *Ergo* commune sensibile existit extra nos.

3. *Ex absurdis:* Si sensus fallerent circa sensibile commune: a) non iam ceterae nostrae facultates fidem mererentur; b) vana esset tota scientia physica, mathematica, mechanica, astronomica;³ c) nostrae perceptiones et cogitationes potius dicendae essent longae vel altae, rotundae vel quadratae et alia eiusmodi. *Atqui* haec absurda sunt. *Ergo* sensus non fallunt circa sensibile commune.)

II. *Sensus immediate percipiunt sensibile commune.*

Prob. 1. Ex immediata corporum perceptione: Ostendimus in thesi praecedenti, corporum existentiam a sensibus *immediate* percipi. *Atqui* corporum existentia non potest percipi nisi per eius

¹) Cfr. Hagemann, Psychol. § 23. ²) Cfr. Fischer, Gesetz der Entwicklung, p. 72 sq. Wundt, Grundzüge der Physiol. Psychol. II, p. 30 et 167 sq. Logik, I, 508 sq. („Komplexes Lokalzeichen“). ³) Cfr. Helmholtz contra Kant, „Die Tatsachen in der Wahrnehmung“, pag. 55 sq.

qualitates sensibiles tum proprias tum communes. Nam id, quod *primo et per se* in corporibus percipitur, sunt qualitates sensibiles; neque enim ipsa corporum substantia a sensibus apprehenditur. *Ergo* illae qualitates sensibiles communes immediate percipiuntur.

2. *Ex testimonio conscientiae:* Conscientia nostra et omnes homines naturali certitudine ducti testantur, nos extensionem neque tanquam formam subiectivam in nobis percipere, neque meras impressiones corporum, e. g. imaginem in retina¹), neque excitationem nervorum sive cerebri, neque motum musculorum oculi, ut inde ipsi construamus repraesentationem extensionis eamque deinde ad obiecta per „projectionem“ vel „obiectivationem“ quandam transferamus; sed testantur, nos intueri primo et immediate ipsam rem extensam a nobis distinctam, immo saepissime nos ne suspicari quidem, eiusmodi motus adesse. *Atqui* testimonium conscientiae et persuasio hominum in hac re nobis maxime obvia non possunt fallere, neque unquam sententia adversaria argumentis convincentibus probata est. *Ergo* cognitio nostra sensibilis communis est immediata.

3. *Ex experientia:* Constat, caecos sanatos²), licet initio imperfecta fuerit perceptio, res extensas neque in cerebro neque in organo percipisse, neque primo impressiones mere qualitativas habuisse, quas deinde per „innervationem“ quantitativas reddidissent atque per projectionem ad obiecta externa transtulissent; sed statim eos extensionem extra se in obiectis ipsis vidisse. *Ergo* perceptio extensionis neque est innata neque a nobis producta.

4. *Ex absurdis:* A. Si cognitio communis sensibilis non esset immediata, deberemus nos ipsi universum mundum eiusque ordinem mirabilem, distantias ingentes, motus coelestes nostra vi construere ex motibus illis nervorum vel musculorum, quibuscum ordo mundi vix ullam habet similitudinem. Quin etiam infantes et bestiae deberent mirabilem illam vim habere. *Atqui* hoc impossibile est, a) quia nobis nullo modo de eiusmodi vi consci sumus; immo sentimus nos dependere ab ordine obiectivo; b) paucissimi homines cognoscunt leges naturae eiusque ordinem, et ne doctissimus quidem omnes cognoscit; c) nobis tam difficile est, discere illum ordinem, quem tamen tanta nos facilitate omni momento propria nostra potestate producere dicunt.

B. Deinde extensio illa a nobis producta quomodo formaretur? Fac, in oculo apprehendatur imago in retina. Sed haec imago minima non habet nisi duas dimensiones; est inversa; retina habet maculam „luteam“ (gelbe

¹) „Was uns durch die Sinne zum Bewusstsein kommt, das sind zunächst nur Eigenschaften und Zustände unserer Nerven und keine Eigenschaften und kein Zustand eines äussern Körpers. Die Retina sieht nur sich, sie ist sich selbst Subjekt — Objekt.“ (Trendelenburg, Logische Untersuchungen², II, 479.) Ita etiam Joh. Müller, Physiol., 1840, p. 250.

²) Vide Pesch, Weltphaen., p. 54. E. Fischer, Theorie der Gesichtswahrnehmung, 1891, p. 287 sq.